

habeant aptum ad pariendum locum & ovā quam facillime  
serventur, ex quibus pullos excludere volunt. Imò tam sin-  
gulares & admirabiles quorundam animalium sunt propri-  
tates & sagacitates, ut multos in admirationem rapiant. Quic-  
quid tamen faciunt, illud omne beneficō instinctus natura-  
lis præstant, qui nihil aliud est, quam actus phantasīæ seu Æsti-  
mativæ, secundum quam positō phantasmate talis rei bru-  
tum judicat hoc esse sibi vitandum, aut appetendum absque  
ullō tamen discursu & ratiocinio, sed solūm simplici cogni-  
tione. Consequentia autem majoris probatur inde, quia age-  
re propter certum finem per certa media est solius Creaturæ  
intelligentis, quippe quæ finem formaliter agnoscere potest,  
& de mediis ad finem ducentibus judicare, unumque præ al-  
terō eligere valet. Qvum itaque bruta intellectu & ratione  
destituta cernantur, non possunt etiam media fini propor-  
tionata eligere; necessariò igitur causa erit, quæ bruta ista  
ad finem per legitima media consequendum moveat & ad-  
ducat. Stat ergò firmō talō Conclusio.

§. 14. Quintò existentiam Numinis Summi contra A-  
theorum colluviem probant contraria illa, ex quibus mundi  
hujus machina conflata cernitur, quæ tamen per ea non la-  
sa fuit, sed in hunc usque diem integra servatur. Sic calor frí-  
gori adversatur, frigus iterum calori; ignis aquæ contraria-  
tur, aqua iterum igni; humidum arido ruinam minatur, ari-  
dum iterum humido. Idcirco necesse est, ut detur aliquod  
Ens, quod contraria ista, ex quibus mundus hic compositus  
est, ita dirigat, ne se invicem tollant, & per consequens mun-  
dum ipsum destruant. Si enim contraria ista, per quæ mun-  
dus conservatur, sibi reliquerentur, unum alterum destrue-  
ret; sed cum contraria ista unanimi quasi consensu mun-  
dum hucusque conservaverint & illud ipsum ex se facere  
non potuerint, sequitur irrefragabiliter, quod ab aliō Ente,